

Eligi tamen potest ad officium secretarii capituli, archivistæ et aliorum similium (1).

VIII. *Dum confessiones in ecclesia audit, interim præsens in choro censetur* juxta Concilium Tridentinum, ita ut, dum confessiones in ecclesia cathedrali audit, sive in confessionali sive extra illud, lucretur fructus præbendæ et distributiones, ac si de facto choro assisteret; quinimo acquirit distributiones, quæ dantur pro supplicationibus et processionibus, atque pro anniversariis (2). Exceptio tamen faciendâ est, præcipue pro anniversariis, si distributiones ex voluntate dantis seu fundatoris debeantur solis actu præsentibus, ut dicitur cap. XXX, § 7.

Distributiones autem aliaque emolumenta non lucretur, dum extra ecclesiam audit confessiones (3), neque dum celebrat, aut officium suum privatim recitat, etiamsi hoc faciat ut confessiones opportuniùs audiat (4).

Dubitatur autem, an lucretur distributiones aliaque emolumenta si tempore chori sedeat in confessionali, confessiones vero non audiat, sed pœnitentes expectet. Negant Pallottini, Benedictus XIV, Barbosa et Lucius Ferraris (5). Quapropter S. C. Congregatio censuit, Pœnitentiarium, quando non est impeditus in munere confessionis, divinis officiis interesse debere (6). Sanctus autem Alph. de Ligorio (7), affirmat cum aliis, et censet hoc verius esse, si pœnitentes soleant accedere, et pœnitentiarius eo animo se detineat, ut promptiorem illis se exhibeat, vel ne pœnitentes eum perquirere cogantur, et ob verecundiam ejus inquisitionis confessiones omittant.

Notandum, eadem privilegia extendi ad canonicum, quem Episcopus ad confessiones excipiendas loco pœnitentarii sufficit, et

(1) S. C. C. 15 Ap. 1690 *Vicen.* et 24 Sept. 1729 apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 16, et tom. 4, *Canonicus* § VI.

(2) S. C. C. 4 Sept. 1591 *Januen.* et 15 Mart. 1631 dub. 2, *Viterbien.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 5; Barbosa de canonicis cap. 26, n. 21; Lucius Ferraris *Canonicus* art. IX, n. 81.

(3) Barbosa loco cit. n. 22, et Lucius Ferraris, n. 82.

(4) Barbosa loco cit. n. 20.

(5) Pallottini *Canonicatus* § VII, n. 134; Bened. XIV Instit. 107, § IX; Barbosa loco cit. n. 20; Lucius Ferraris, n. 80.

(6) 25 Januarii 1642, *Fanen.* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 9.

(7) Theol. mor. lib. 4, n. 131.

etiam ad illum, qui in casu necessitatis de expresso Episcopi mandato audit confessiones (1).

IX. Si pœnitentiarius confessiones audire renuerit, munerique suo defuerit, ab Episcopo puniri potest (2). Si, ipso non residente, Episcopus ad privationem canonicatus procedere velit, servare tenetur regulam præscriptam a Sacro Concilio Tridentino sess. 24, cap. 12, de reformat (3).

### § 3. De præfecto chori.

I. Directio chori ad primam dignitatem per se pertinet, ut dictum est cap. VIII, § 2, IV, ad 5, eaque absente, ad digniorem ex præsentibus. Dicitur tamen *per se*, quia sive ex consuetudine, sive ex statutis ecclesiæ pertinere potest ad alium de capitulo, qui præfectus seu magister chori dici solet, et hujusmodi directionem nomine ipsius capituli exercet (4).

II. Præfectus chori constituitur vel promotione ad aliquam dignitatem vel officium, cui hæc præfectura annexa est, vel nominatione Episcopi, vel electione capituli, prout ipsius capituli ferunt jura, statuta aut consuetudines.

III. Chori præfecto, legitime constituto, competit chorum dirigere; eique omnes obedire tenentur (5).

Hoc tamen intelligendum est Episcopo absente (6). Jurisdictio enim sive primæ dignitatis sive præfecti chori quoad chori directionem non est privativa, sed cumulativa cum Episcopo, si divino officio assistat; ita ut Episcopus possit dirigere et corrigere, atque in istius jurisdictionis exercitio præferendus sit præfecto chori, qui, licet etiam præsentem Episcopo, eandem quidem jurisdictionem cumulativam habet, prælatio tamen convenit Episcopo (7). Idipsum

(1) S. R. C. 14 Junii 1608, *Fulginaten.* S. C. C. 10 Mart. 1635, *Lucana* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § VI, n. 6.

(2) S. C. C. 21 Nov. 1761 *Pisaur.* § 8 apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § VI; Lucius Ferraris, *Canonicus* art. IX, n. 75.

(3) Lucius Ferraris *Canonicus* art. XI, n. 10; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. X, § VI, Vid. § præc. ad XIV.

(4) Scarfantoni Lucubrat. can. lib. 2, tit. 5, animadv. 1, 2 etc.

(5) S. R. C. 6 Aug. 1735, *Imolen.* 2; Pallottini *Canonicus* § VII, n. 18-22.

(6) S. R. C. 17 Dec. 1695, *Abellina* 3, et 3 Aug. 1737, *Urbevetana* 1.

(7) Scarfantonus lib. 1, tit. III, animadv. 43, et lib. 2, tit. V, animad. 4-9.

autem extendendum non est ad vicarium generalem, ad quem etiam præsentem, chori directio non pertinet (1), nisi forte ex consuetudine aliisve specialibus circumstantiis (2).

Chori directio, inconsulta sede Apostolica, alteri committenda non est, in præjudicium illius cui competit, etiamsi chorus non recte gubernetur (3).

V. Oportet, ut choro præsens semper assistat; ipso autem absente, alium subrogare nequit (4), sed eo casu directio chori pertinet ad digniorem præsentem in choro (5), nisi alia forte sit ecclesiæ consuetudo.

Tempestive prævidere debet quæ sint dicenda, cantanda aut facienda, et quidem laudabiliter singulis diebus, præcipue autem in festis et solemnitatibus, actionibus extraordinariis, processio- nibus, exequiis et similibus, ut omnia opportune dirigere et ordine disponere valeat.

VI. Ad ejus officium spectat : 1° « curare ut infra chorum nulla » fiant colloquia, nec sint, qui risu aliove incomposito, seu minus » modesto actu rem divinam turbent; non qui cum cæterorum » scandalo dormiant; litteras aut alias scripturas legant; sed nec » libros, aut ipsum Breviarium, aut diurnum in manibus habeant, » aut ex illis privatim horas, aut orationes recitent, sed illas alta » voce una cum choro dicant, aut cantent, et ad id librum habere » permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem » demonstret, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel » e contra : sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, » devote, et reverenter divinis mysteriis, atque officiis assistere, » eaque toto cordis affectu admirari, et contemplari videantur, ac » silentium diligenter servetur » (6).

2° Curare ut disciplina psallendi ab omnibus exacte servetur quoad rectam elocutionem, debitam pausam in medio versuum, summum consensum et concordiam concinentium, ut nullius vox ante alios præcurrat, nec post alios moretur, et ut nulla sit in cantu

(1) S. R. C. 2 Mart. 1652, *Turritana*.

(2) S. R. C. 3 Aug. 1737, *Urbevetana Præem. super decretis* ad 1.

(3) S. R. C. 7 Aug. 1628, *Iserniæ*; 20 Nov. 1628, *Andrien*; 20 Mart. 1683, *Ruben*.

(4) S. R. C. 24 Nov. 1731, *Baren. 2*.

(5) S. R. C. 2 Mart. 1652, *Turritana*.

(6) *Cæremoniale Episcoporum* lib. 1, cap. 5, n. 4.

diversitas, sed ab omnibus semper servetur æqualitas, quantum fieri potest (1).

3° Facere tabellam designativam hebdomadarii et aliorum ministrorum, eorumque functionum, nisi prima aut alia dignitas hoc agere soleat (2).

4° Dare signum inchoandi officium, et discessus a choro, ita ut ante datum signum exire non liceat; tam capitulares, quam cæteri, a choro exire volentes, veniam petere teneantur, et pœna punctationis plecti possint exeuntes non petita venia per salutationem (3).

Licentia petitur in egressu, quasi licentiam petendo, præfecto privative quoad alios, caput inclinando; et conceditur capite annuendo.

Prima dignitas, exiens de choro, dum officium celebratur, non adstringitur, ne pervertatur ordo hierarchicus, ad egrediendi licentiam ab alio postulandam (4).

Præfectus cavere debet, ne plures, quam duo, simul exeant (5).

5° Corrigere defectus, qui committuntur in choro, sicut Sacra Rituum Congregatio (6) declaravit, hoc spectare ad præfectum chori, et non ad Archidiaconum seu primam dignitatem. Si tamen præfectus chori negligat vel deficiat, jus erit primæ dignitati, eundem admonere, eique jubere, ut ea quæ decent, juxta suum munus fieri procuret (7).

Notandum hic est, si quis in choro erret, neminem caput aut oculos in eum convertere debere, nec signum dare indignationis, et multo minus verbo reprehendere, sed errorem potius dissimulandum et silentio occultandum esse, ne populo appareat. Si quis unum psalmum, antiphonam aut capitulum pro altero diceret, tunc qui proxime adstat, hoc modeste et submissa voce indicare potest, non autem idipsum ejus loco alta voce recitare aut cantare. Si plus fieri oporteat, hoc chori præfecti curæ relinquendum est, qui in omnibus providere potest et debet.

In sequelam juris corrigendi defectus venit quoque jus mulctandi

(1) Bauldry, *Manuale S. Cærem.* p. 1, cap. 7, n. 3.

(2) Vid. *Praxis Pontificalis* tom. 1, n. 45.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. V, animadv. 16.

(4) Scarfantonus lib. 2, tit. XIII, n. 21.

(5) Scarfantonus lib. 2, tit. XIV, n. 1.

(6) 7 Dec. 1771, *Hydruntina* ad 7.

(7) Scarfantonus lib. 2, tit. XIII, n. 15.

juxta Scarfantonum (1); ita ut chori præfectus delinquentes, inobedientes et contumaces per aliquam modicam coercionem et pœnam punire possit et debeat; quia alioquin inanis esset præfectura, si saltem, jus modicæ coercionis non haberet. Hoc tamen jus limitandum est circa leves excessus et levia delicta, intra limites domesticæ et fraternæ correctionis restringendum (2), et nequidem extendendum ad privationem distributionum, quia hoc ad Episcopum pertinet juxta declarationem S. R. Congregationis (3).

Notanda hic sunt consuetudo, privilegia, statuta, ordinationes, conventiones aliæque circumstantiæ, quæ sæpe omnia permutant, et unius officia alteri attribuunt.

#### § 4. De sacrista.

Sicut locus, in quo vasa et paramenta sacra asservantur, sacrum dicitur, ita qui harum rerum curam et custodiam habet, sacrista appellatur. Dicitur quoque thesaurarius et custos. De officio sacristæ et custodis agunt Decretales Gregorii IX, lib. 1, tit. XXVI et XXVII. Sacristæ autem officium describitur in cæremoniali Episcoporum lib. 1, cap. 6.

Assumendus est de gremio ipsius ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in sacerdotali ordine sit constitutus, et cui præsto esse debent alii clerici coadjutores, plures vel pauciores, pro ecclesiæ necessitate et facultatibus (4). Non requiritur, sicut liquet ex cæremoniali Episcoporum, ut sacrista sit canonicus, licet hoc non prohibeatur.

Sacrista excusatur a choro cum distributionum luero pro tempore quo abest occasione ecclesiæ et sacristiæ, nemo enim ad duas incompatibiles actiones obligatur (5).

Ut magis accurate, tam sacrista, videlicet si non sit canonicus, quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus vel duo ex canonicis eis præficiantur singulis annis vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus ecclesiæ suæ notitiam assequantur (6).

(1) Lib. 1, tit. III animadv. 39.

(2) Scarfantonus lib. 2, tit. V, animadv. 10 et 11.

(3) 7 Dec. 1771 loco cit.

(4) Ita Cærem. Ep. loco cit. n. 1.

(5) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 29.

(6) Cæremoniale Ep. loco cit. n. 4.

#### § 5. De secretario, receptore et distributore.

I. In omnibus capitulis necessarius est secretarius, qui acta capituli describat. Sic dicitur a secretis, quæ ei communicantur, et ab eo fideliter servanda sunt. Non obligatur capitulum, secretarium extraneum assumere (1), sed canonicus hoc ipsum officium exercere potest.

Hoc munus ad vitam conferendum non est: licet hujusmodi electio seu confirmatio singulis annis ordinarie fieri soleat (2); longiori equidem intervallo fieri non prohibetur: oportet tamen, ut ejus renovatio singulis tribus annis fiat.

II. Receptor et distributor etiam necessarii sunt. Ipsi similiter ad vitam constituendi non sunt, sed quotannis vel saltem singulis trienniis renovandi aut confirmandi. Singulis annis tenentur reddere rationem administrationis (3).

#### § 6. De punctatore.

I. Ea est conditio et fragilitas humana, ut, sicut scribit Benedictus XIV (4), « facile eluderentur tot salutares constitutiones, nisi in singulis ecclesiis, certi et designati forent canonici, seu alio quocumque nomine nuncupentur beneficiarii, quibus onus incumberet accurate adnotandi, quotquot in choro aliisque sacris functionibus desiderantur, et quibus nominatim diebus, aut a qua speciatim divini officii parte hic aut ille se subducat. Qui vero ad ejusmodi munus destinantur, olim dictos fuisse *Obedientiales*, quasi ex mera obedientia invisum munus subirent inquirendi in aliorum negligentiam, ex quodam diplomate Innocentii III colligi autumat Petrus Morettus. Nunc autem communiter vulgo dicuntur *Punctatores*. »

Punctator inde dictus videtur, quod post nomen cujusque absentis punctum adscribere soleat.

II. Unus saltem ad id muneris necessarius est; duo autem in

(1) Scarfantonus lib. 4, tit. 16, n. 12.

(2) S. C. C. 8 Junii 1782, *Firmana* dub. 8, et 6 Sept. 1783, dub. 2.

(3) Conc. Trid. sess. 22, cap. IX, de reformat.

(4) De Syn. lib. IV, cap. IV, n. 2.

singulis ecclesiis plerumque deliguntur, tum ut uno impedito, alter non desit, tum potissimum ut alicujus a choro absentiam ambo uniformiter testantes, omnem a se removeant suspicionem fraudis (1).

Episcopus, si velit, etiam contrapunctatorem eligere potest (2).

*Punctatores convenit esse de gremio cathedralis* (3). Canonici præferendi sunt; quocumque autem alio nomine nuncupentur beneficiati, modo sint de gremio, designari possunt, ut scribit Benedictus XIV loco supra allato.

Officium hoc non ad vitam conferendum est, neque uni eidemque, uti juniore canonico, semper attribuendum; sed punctator quotannis a capitulo eligendus est (4). Eligi nequit Sacrista aut alius, qui ab initio usque ad finem in choro permanere non potest.

III. S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi IV part. 2, juramentum a punctatoribus præstari voluit, hisce verbis conceptum: *Ego N. punctatoris officium, quod suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus, sancte promitto ac spondeo, me fideliter et sincere, quantum in me est, exequiturum. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia*; vel si juret super sacras Reliquias, *et hæc Sanctorum pignora*. Atque universim loquendo, electos in punctatores, priusquam officium assumant, esse jurejurando obstringendos ad illud fideliter obeundum, edixit S. Congregatio Concilii (5). Cumque postea dubitatum fuisset, coram quo prædictum juramentum præstandum esset, Sacra Congregatio præstandum censuit coram illo, a quo punctator esset electus (6).

IV. Punctator diligens et fidelis esse debet, cum circa residentiam et absentiam standum sit libro punctatoris (7).

A principio divini officii usque ad finem persistere debet in choro, et absque ulla jussione punctare ac mulctare omnes reos, humanis affectibus remotis (8). Neque putet inane quoddam munus

(1) Bened. XIV ibidem.

(2) Lucidi de visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 267, n. 47 et 48.

(3) S. R. C. 10 Sept. 1701, *Cortonen*, 17.

(4) S. C. C. in *Conversana* 4 Dec. 1706, dub. 1; *Salernitana* 27 Sept. 1732, dub. 16; *Nullius Putignani* 6 Maji 1741, dub. 7; et *Leodien*. 12 Maji 1770, dub. 10, et 30 Aug. 1777, dub. 1.

(5) In *Maceraten*. 26 Ap. 1664, dub. 6.

(6) 13 Jul. 1686 *Senen. Officiorum*. Ita Bened. XIV de Syn. loco cit. n. 111.

(7) Scarfantonus lib. 4, tit. 16, n. 17.

(8) Scarfantonus lib. 2, tit. 14, n. 11.

ipsi demandari, eique satisfieri, si quamdam honestatis speciem retineat, quæ nempe in eo posita est, ut aliorum metu, vel negligentia, vel ignavia disciplinam ecclesiæ pedibus conculcet. Ut falsam hanc sententiam deponat, ea percurrat, quæ a S. Carolo Borromæo traduntur: *Punctator studiose exploret, et in libro punctationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui sacras horas et divina officia non obierint, quique contra, quam his, aliisque constitutionibus præscriptum est, in choro quidquam fecerint, qua in re ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur* (1).

Absentes et egredientes de choro, justam quam habent causam, nisi manifesta et nota fuerit, punctatori indicare tenentur (2).

V. Si punctator a choro abfuerit, dignioris seu antiquioris canonici præsentis partes per se sunt, illum punctare, prout etiam omnes alios absentes et deficientes (3).

#### § 7. De hebdomadario.

I. Hebdomadarius hodie dicitur ille, cui per hebdomadam celebrandi divini officii munus incumbit, sive cui incumbit omnium horarum officium sua hebdomada inchoare, collectas canere, et summum sacrum celebrare (4).

Quod ad ejus officium spectat habenda est ratio consuetudinis locorum, cui plurimum tribuendum est (5).

Officium suum regulariter incipit sabbato ad vespervas, quod inclusive ad nonam sequentis sabbati continue exequitur, nisi occurrat officium pontificale vel aliud quod ad dignitatem spectat.

II. Si sit dignitas vel canonicus, et sacris vestibus indutus, sedet in primo stallo, eique debetur præcedentia supra omnes canonicos et dignitates (6), ac etiam supra vicarium generalem (7). Dicitur

(1) Bened. XIV, Institut. 107, § VII.

(2) Scarfantonus lib. 2, tit. XIII, n. 22.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. XIV, n. 20.

(4) Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. 19; Molanus de canonicis lib. 2, cap. 15.

(5) Bauldry part. 1, cap. 5, n. 1.

(6) S. R. C. 24 Oct. 1609, *Antverpien*; 26 Jun. 1610, *Arboren*; 31 Mart. 1618, *Capuana*; 6 Dec. 1653, *Majoricen*; 13 Jun. 1682, *Aretina*; 13 Jun. 1682, *Sabinen*; 2 Oct. 1683, *Aretina*; 7 Dec. 1771, *Hydruntina*, 21.

(7) S. R. C. 27 Feb. 1847, *Tranen*.